



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale, sev Institutio Sacerdotvm, Ex Divinis Litteris Et Vetervm Patrvm Disciplina

Torres, Alfonso de

Ingolstadii, 1604

XII. Ne sit fornicarius, aut aliis carnis operibus inseruiat Sacerdos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48973)

De eodem.

- 17 Si quis per capillum Dei, vel caput iurauerit, vel alio modo blasphemia contra Deum vsus fuerit, si in Ecclesiastico ordine est, deponatur. S. Pius Papa 22. q. 1. c. eod.

CAPVT XII.
NE SIT FORNICARIVS
SACERDOS,
AVT ALIIS CARNIS OPE-
RIBVS INSERVIAT.

SUMMARIVM.



AMERETRICE longe fugiendū, quia nouissi-
ma illius amara quasi absynthium, &
acuta quasi gladius biceps. 1. 2.
Melius est habitare cum iniquo viro, quam cum mu-
liere beneficiente. 3.
Fornicatio, & omnis immunditia nec nominanda, quis
omnis fornicator, & immundus non habet heredi-
tatem in regno Dei. 4.
Qui post acceptum Ordinem sacrum in peccatum car-
nis lapsus fuerit, deponatur, ex Apostolico decreto.
5. 6.
Secundum vero decretum Canonis penitentialis aliter
puniendus. 7.

Non

Non tamen sicut laicus publice debet penitere. ibi-
dem.

Libido seuus criminum stimulus. 8.

Adulter Clericus qualiter puniendus. 9.

Qualiter concubinaris. 10. 11.

Eius Missa non audienda. 12. 13. 14.

De Presbyteris, qui filios habent. 15. 16. 17.

Clericus contra naturam peccans qualiter punien-
dus. 18.

Majorum criminum poena septem annorum spatio con-
cluditur, nisi peccatum sit contra naturam, aut quid
simile. 19.

Centum enim annorum inuenitur penitentia imposita,
ibidem.

Clerici matrimonia contrahentes ipso facto excommu-
nicati. 20.

Subdiaconus matrimonium contrahere non potest. 21.

Sacerdos cum filia spirituali fornicationem committens
qualiter puniendus. 22.

Caute procedendum in principiis familiaritatum cum
feminis. 23. 47.

Quia periculosa, & perniciosa sunt eiusmodi familia-
ritates Sacerdotibus, maxime cum illis feminis, quae
spirituales videntur. 24.

Vere enim continens etiam probarum feminarum fa-
miliaritates fugit. 25. 26. 47.

Ut serpentes. 27.

Ut ignem. 28.

Neque solus cum sola sedere debet Sacerdos. 32. 33. 34.
35. 36. 37. 38. 39.

Quantumuis despecta, & vetula, quia citius delinquitur vbi securius viuatur. 41.

Neque cum extranea. 42.

De quo optima documenta. 40.

Licet tamen Sacerdoti cum aliquibus conuersari. 43. 44. 45.

Id tamen vrgente necessitate, & qualiter cum illis colloquendum. 27. 28. 29. 30. 31. 32.

Clericus frequentans monasteria monialium qualiter coercendus. 46.

Ieiunia legitima quæ. 7.

Subintroducæ mulieres quæ. 12. Coinductæ, Aliena. ibidem.

Agapeta quæ. 34.

- 1 **F**AVVS distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius. Nouissima autem illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps, &c. Longe fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius, &c. *Prou. 5.*
- 2 Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus viatorum est, & sagma cor eius, vincula sunt manus illius. qui placet Deo, effugiet illam; qui autem peccator est, capietur ab illa. *Eccl. 7.*
- 3 In medio mulierum noli commorari: de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. Melior est enim iniquitas viri, quam mulier benefaciens. *Eccl. 42. Intellige, ad cohabitandum.*
- 4 Fornicatio autem, & omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos, &c. Quia
omnis

omnis fornicator, aut immundus non habet hereditatem in regno Christi, & Dei. *Ephes. 5.*

Qui post acceptum sacrum Ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit, sacro Ordine ita careat, vt ad altaris ministerium vltterius non accedat.

s. Gregor. dist. 50. c. peruenit.

5

Presbyter, qui in fornicatione captus est, deponatur; non tamen communione priuetur; dicit enim Scriptura: Non vindicabit Dominus bis in idipsum. *Num. 1.*

Canon Apostolorum 25. dist. 81. c. eod.

6

Sacerdos fornicarius qualiter ex decreto Canonis pænientialis puniendus; non tamen publice, sicut laicus. Et eodem modo puniendus omnis, qui deponendus.

PRESBYTER, si fornicationē fecerit, quamquam secundum Canones Apostolorum debeat deponi; tamen iuxta auctoritatem Beati Papæ Siluestri, si in vitio non perdurauerit, sed sua sponte confessus adiecit, vt resurgat, decem annis in hunc modum pæniteat: tribus quidem mensibus privato loco à ceteris remotus pane & aqua, à vespera in vesperam vtatur; tantum autem diebus Dominicis, & præcipuis festis modico vino, & pisciculis, atque leguminibus recreetur, sine carne & sanguine, ouis, & caseo: sacco indutus humi

adhæ-

adhæreat; die ac nocte iugiter misericordiam Dei omnipotentis imploret. finitis tribus mensibus continuis exeat; tamen in publicum non procedat, ne grex fidelis in eo scandalum patiatur. Neq; enim debet Sacerdos publice penitere, sicut laicus. Postea aliquantisper resumptis viribus, vnum annum & dimidium in pane & aqua expleat, exceptis Dominicis, & præcipuis festis, in quibus vino, & sagimine, ouis, & caseo, iuxta canonicam mensuram vti poterit. finito primo anno & dimidio, corporis & sanguinis Domini, ne indurescat, particeps fiat, & ad pacem veniat; Psalmos cum fratribus in choro vltimus canat; ad cornu altaris non accedat; iuxta B. Clementis vocem, minora gerat officia. Deinde vero vsq; ad expletionem septimi anni, omni quidem tempore, exceptis Paschalibus diebus, & tres legitimas ferias in vnaquaq; hebdomada in pane & aqua ieiunet. Expleto septimo anni circulo, si sui confratres, apud quos pænituit, eius condignam pænitentiam collaudauerint, Episcopus in pristinum honorem, iuxta B. Calixti Papæ auctoritatem, eum reuocare poterit. Sane sciendum est, quod secundam feriam, vnum psalterium canendo, aut vnum denarium pauperibus dando, (si opus est) redimere poterit. Finitis autem septem annis, deinde vsque ad finem decimi anni sextam feriam (nulla interueniente redemptione) obseruet in pane & aqua. Eadem quoque pænitentia erit Sacerdoti, de omnibus aliis peccatis, & criminibus, quæ eum in depositionem inducunt.

unt. *Ex Canonibus Theodori Hibernensis dist. 82. cap.*
rod.

a Ieiunia legitima] Intelliguntur soluenda feria
quarta, & sexta, in illa propter initum à Iudæis Conci-
lium de proditione Domini; in hac, quod in ipsa pro no-
bis Dominus passus sit: vt colligitur ex S. Apollonio de
consecr. dist. 3. c. ieiunia. Canon Apostolorum 68. S. Cle-
mens de constit. Apostolorum l. 5. c. 16. l. 7. c. 22. S. Ig-
natius ep. ad Philippenses. Tertullianus aduersus Pfy-
chicos, c. 10. Rabanus Maurus de institutione clerico-
rum l. 2. c. 24. S. Leo serm. 4. de ieiunio septimi mensis, &
alibi saepe. S. Epiphanius haeresi 75. contra Aëtium. Ori-
genes hom. 10. in Leuit. S. Cyrillus in Leuiticum l. 10.
Item, & feria secunda, vt in suprad. c. presbyter, dist.
82. II. q. 3. c. de illis. 22. q. 5. c. 1. Aliqui tamen, teste Lu-
dwico Romano, pro secunda feria ponunt sabbatum. Vi-
de S. Isidorum de officiis l. 1. c. 42. & Rabanum vbi sup.
tuonem p. 4. c. 28. Romæ tamen consuetum esse ieiunare
tribus per hebdomadam diebus, nempe feria quarta,
sexta, & sabbato, testis est S. Augustinus ep. 86. ad Ca-
fulanum.

Libido sæuus criminum stimulus.

SÆVVS criminum stimulus libido est, quæ num- 8
 quam manere quietum patitur affectum: nocte
 feruet, die anhelat. S. Ambros. de Abel, & Cain.

Clericus adulter qualiter puniendus.

SI quis Clericus adulterasse, aut confessus, aut 9
 conuictus fuerit, depositus ab officio, commu-
 nione

nione concessa, in monasterio toto vitæ suæ tempore detrudatur. *Concil. Aurelian. dist. 81. c. eod.*

Clericus concubinarius qualiter puniendus.

10 QVAM turpe, ac Clericorum nomine, qui se Diuino cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitæ sordibus, immundoq; concubinato versari, &c. Prohibet sancta Synodus quibuscumque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio in domo, vel extra detinere, aut cum iis vllam consuetudinem habere audeant; alioquin pœnis, à sacris Canonibus, vel Statutis Ecclesiarum impositis, puniantur. Quod si, à superioribus moniti ab iis se non abstinuerint, tertia parte fructuum, obuentionum, ac prouentuum beneficiorum suorum quorumcumque, & pensionum, ipso facto sint priuati, quæ fabricæ Ecclesiæ, aut altari pio loco arbitrio Episcopi applicetur. Sin vero, in delicto eodem cum eadem, vel alia femina perseuerantes, secundæ monitioni adhuc non paruerint: non tantum fructus omnes, ac prouentus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittant; sed etiam ab ipsorum beneficiorum administratione, quoad Ordinarius, vti Sedis Apostolicæ delegatus, arbitrabitur, suspendantur: & si ita suspensi, nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam versentur, tunc beneficiis, portionibus, ac officiis, & pensionibus quibuscumque Ecclesiasticis perpetuo priuentur;

atque

atque inhabiles, ac indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficiis, ac officiis in posterum reddantur, donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum Superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias huiusmodi scandalosas mulieres sibi adiungere ausi fuerint, præter prædictas poenas, excommunicationis gladio plectantur. Nec quæuis appellatio, aut exemptio prædictam executionem impediatur, aut suspendat, &c. *Concil. Tridentin. Sess. 25. c. 14. de cohabit. Cler. & mul. c. 2. & 3. de sentent. excom. c. si concubina. Concil. Aurelian. 3. c. 14.*

De eodem.

SI Clerici tuæ iurisdictionis, siue in sacris Ordinibus, siue in inferioribus constituti, fornicarias detinent; nisi eas ad secundam, vel ad tertiã communionem à se dimiserint, easdem de cetero contempturi, liceat tibi eos Ecclesiis, vel earum portionibus, appellatione postposita, spoliare, officio ipsis nihilominus interdicto. *Alex. 3. de cohabit. Cler. & mul. c. sicut, c. si autem.*

Concubinarij Missa non audienda.

NVLLVS Missam audiat Presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, aut b subintroductam mulierem. Vnde ipsa sancta Synodus hoc capitulum sub excommunicatione statuit. *Nicolaus Papa dist. 32. c. eod. iuncto c. præter, & dist. 81. c. si quis*

qui sunt. Quod vide intelligendum sub distinctione, quam ponit Lucius papa de cohab. Cler. & mul. cap. vestra.

b Subintroducæ mulieres] sunt, quas Græci Synnis Actas vocant, hoc est, interp̄etes; quas olim Monachi, ac Sacerdotes apud se retinebant: quæ nec eorum vxores erant, neq; concubinæ; sed comites, & sociæ calibatus. Postea vero Nicæna Synodus can. 3. propter fornicationis suspicionem hoc genus contubernij improbauit, dist. 32. c. interdixit. meminit Iustinianus nouella 123. & Epiphanius hæresi 67. 78. 80. vbi eas Coinductas appellat, & Rufinus Alienas, & Eusebius hist. Eccles. l. 7. Aduersus illas extat homilia S. Chrysost. tom. 5. Nouissime Iacobus Byllius l. 1. c. 39. observationum sacrarum.

De eodem.

- 13 NON solum Sacerdotes, qui Sacramenta indigne tractant, iram Dei super se prouocant, sed omnes, qui ip̄sis indigne celebrantibus quodammodo communicant, vel fauendo, vel negligendo, vel fouendo, vel permittendo, cum oporteat remedia adhibere, &c. Ioan. Driedo de libertate Christiana l. 3. c. II.

De eodem.

- 14 SI qui sunt Presbyteri, Diaconi, vel Subdiaconi, qui in crimine fornicationis iaceant, interdiciamus eis ex parte Dei omnipotentis, & sancti Petri auctoritate introitum Ecclesiæ, vsque dum peniteant, & emendent. Si qui vero in peccato suo per-

Seuerare maluerint, nullus vestrum eorum præsumat audire officium: quia benedictio eorum vertetur in maledictionem, & oratio in peccatum, testante Domino per Prophetam: Maledicam benedictionibus vestris. Qui vero huic saluberrimo præcepto obedire noluerit, idololatriæ peccatum incurrit, Samuele testante, &c. *B. Gregor. vij. dist. 81. c. eod.* Mal. 2.

De Presbyteris, qui filios habent.

PROPOSISTI, quid de his obseruari debeat, quos 15
in Diaconij ministerio, aut in officio Presbyterij positos incontinentes esse, aut fuisse, generati filij prodiderunt. De his & diuinarum legum manifesta est disciplina, & beatæ recordationis viri Syricij Episcopi monita euidentia commearunt, vt in continentibus, in officiis talibus positi, omni Ecclesiastico honore priuarentur; nec admittantur ad tale ministerium, quod sola continentia oportet impleri, &c. *Innocentius Papa dist. 82. c. eod. c. plurimos. c. quia aliquanti, can. 22. Apostolorum Iuo p. 6. c. 193*

De eodem.

Eos Presbyteros, qui in Presbyterio filios pro- 16
crearunt, iubebitis in medio collocari; discussisq; obiectionibus, quæ ipsis Presbyteris impinguntur, si conuicti fuerint, à Sacerdotali remoueantur officio, (quia, qui sancti non sunt, sancta tractare non possunt,) alienique efficiantur à ministerio, quod viuendo illicite polluerunt. *Idem Innoc. dist. 81. c. Maximianus. Iuo p. 6. c. 96.*

x

De

De eodem.

- 17 CVM multæ super incontinentia Ordinis clericorum hæctenus emanarint sententiæ Patrum, & nullatenus ipsorum reformari quiuêrit correctio morum, vsq; adeo sententiam iudicantium pro-
traxere commissa culparum, vt non tantum ferretur vltio in auctores scelerum, verum & in progeniem damnatorum. Ideoq; quilibet ab Episcopo vsque ad Subdiaconum deinceps, qui vel ex ancillæ, vel ex ingenuæ detestando connubio in honore constituti filios procreauerint, illi quidem, ex quibus geniti probabuntur, Canonica censura damnentur. Proles autem aliena pollutione nata non solum hæreditatem numquam accipiet; sed etiam in seruitutem eius Ecclesiæ, de cuius Sacerdotis vel ministri ignominia nati sunt, iure perenni manebunt. *Concil. Toletan. 9. 15. q. 8. c. eod. luo p. 6; c. 425.*

Clericus contra naturam peccans qualiter puniendus.

- 18 QVICVMQVE Clerici illa incontinentia, quæ contra naturam est (propter quam ira Dei venit in filios diffidentia, & quinque ciuitates igne consumpsit) deprehensi fuerint laborare, deiciantur à clero, vel ad agendam pænitentiam in monasteriis detrudantur. *Alex. 3. de excess. prælatorum c. Clerici.*

Maio

Maiorum criminum pænitentia septem annorum spatio concluditur, nisi sit peccatum contra naturam, vel quid simile.

ECCLESIASTICA consuetudine est usurpatum, ¹⁹ ut maiorum criminum pænitentia c septem annorum spatio concludatur; nisi vel officij excellentia, vel criminum magnitudo vulgarem consuetudinem excedens (veluti dum contra naturam humanæ societatis parentibus, vel liberis, vel aliis huiusmodi personis adherens, vel dum relicto naturali usu contra naturam more Sodomitico fornicamur, vel vsq; ad coitum brutorum animalium prolabimur) præmissum spatium transcendere cogat. 33. q. 2. c. hoc ipsum. §. hoc autem. Qualiter autem hæc pænitentia septem annorum sit agenda, vide Concil. Triburien. c. 55. 56. 57. 58.

[Septem annorum] etiam centum annorum pænitentiam inuenimus, ut videre est apud Cardinalem Petrum Damianum de Dei omnipotentia, ep. 3. c. 14. in vita S. Dominici Loricati.

Clerici matrimonia contrahentes ipso facto excommunicati.

CLERICOS in sacris Ordinibus constitutos matrimonia contrahentes refrænare metu poenæ ab huiusmodi eorum temeritatis audacia cupientes, ipsos excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subiacere: præcipientes Ecclesiarum Prælati, ut illos, quos eis constiterit taliter contraxisse,

excommunicatos publice tamdiu nuncient, seu à suis subditis faciant nunciari, donec suum humiliter recognoscentes errorem, separantur ab inuicem, & absolutionis obtinere beneficium mereantur. Per prædicta quoque viribus, quæ sic contrahentibus alias pœnas imponunt, in nullo volumus derogari. *De consanguin. & affin. Clem. vnica. dist. 81. c. quidam Clerici.*

Subdiaconus matrimonium contrahere non potest.

21 MANDAMVS, quatenus, si Subdiaconus qui sibi quandam coniugem copulauit, ad monasticum ordinem transire voluerit, & tibi post laudabilem conuersationem ipsius visum fuerit, eum ad maiores Ordines promoueri concedas. Quod si ad religionem se transferre noluerit, eum neque in Subdiaconatu ministrare, neque ad altiores permittas Ordines promoueri: in minoribus tamen Ordinibus poterit ministrare. *Alex. 3. qui Clerici vel vouentes c. ex literarum.*

Sacerdos cum filia spirituali fornicationem committens qualiter puniendus.

22 SI quis Sacerdos cum filia spirituali fornicatus fuerit, sciat se graue adulterium commisisse. Idcirco femina, si laica est, omnia derelinquat, & res suas pauperibus tradat; &, conuersa in monasterio, Deo vsque ad mortem seruiat. Sacerdos autem, qui malum exemplum dedit hominibus, ab
omni

omni officio deponatur, & peregrinando duode-
cim annis pæniteat: postea vero ad monasterium
vadat, ibiq; cunctis diebus vitæ suæ Deo seruiat. *S.*
Celestinus Papa 30. q. 1. c. eod.

**Caute procedendum in principiis fami-
liaritatum cum feminis.**

SÆPE spiritu inceptus amor consummatur car- 23
ne, &c. Astutus esse debes. Diabolus enim in prin-
cipio incautæ familiaritatis occultat laqueos ten-
tationis carnalis, reputans, quod desisterent à mu-
tua dilectione, si sentirent inde stimulos peccati:
donec per longam familiaritatem, & incautam se-
curitatem affectus amborum ita conflati, & con-
glutinati fuerint in amore, quod, etiam si sentiant
sibi inde imminere tentationis periculum, nesci-
ant resilire, nec ab inuicem separari, viribus spiri-
tualibus ita debilitatis in eis, quod neuter valet si-
bimet vim facere tantam, vt euellat se de laqueo;
immo timet alterum in tantum contristare, quod
etiam fere putet per fidum, si deserat eum; & sic
captus consentit alterius voluntati, & propriæ in-
firmitati in omne peccatum, &c. *S. Bonau. de refor.*
mentis p. 2. c. 23. & de processu 6. religionis. c. 15.

¶ 16. vbi optime de differentia amo-
ris spiritualis, & car-
nalis.

Perniciosa, & periculosa Sacerdotibus affectio, familiaritas, & colloquia cum feminis; maxime cum illis, quæ videntur spirituales.

24 LICET carnalis affectio omnibus sit periculosa, & damnosa, ipsis tamen Sacerdotibus magis perniciosa; maxime quando conuersantur cum persona, quæ spiritualis videtur. Nam, quamuis horum principium videatur esse purum, frequens tamen familiaritas domesticum est periculum, delectabile detrimentum, & malum occultum bono colore depictum, &c. Vnde Augustinus: Nectamen, quæ sanctiores sunt, minus cauendæ: quo enim sanctiores fuerint, eo magis alliciunt, & sub prætextu blandi sermonis immiscunt se vitiis impiissimæ libidinis. Crede mihi, Episcopus sum, in Domino loquor, non mentior: cedros Libani, id est, contemplationis altissimæ homines; & gregum arietes, id est, magnos Ecclesiæ Prælatos, sub hac specie corruisse, reperi, de quorum casu non magis præsumebam, quam Ambrosij, & Hieronymi. Idem S. Bonau. de ratione confitendi, & puritate conscientie c. 14. S. Thom. opusc. 64. S. Aug. ep. 132. Quod maxime cauendum est, ne seruum sponsi dum de sponso audire frequentat, æqualiter ac sponsum amet, & aliquando sponsi obliuiscatur, & pronubus diligatur. S. Basilius de vera virginitate. In simili S. Gregor. p. 2. Pastoralis c. 8. Moralium l. 22. c. 12.

Vere

Vere continens, assiduas mulierum, etiam probarum, familiaritates fugit.

S. Ephraëm de temperantia.

25

De eodem.

Ipsi non fallimus, quoties inordinate credimus, estimantes per fidem nostram legis præcepta mutari, vt inter masculos, & feminas speremus, passim castitatem inuiolabilem custodiri. Difficile quis venenum bibit, & viuet. Verendum est dormienti in ripa, ne cadat, cum dicat Apostolus: Qui se existimat stare, videat, ne cadat. In hac parte expedit plus bene timere, quam male fidere. Et vtilius est, infirmum se Sacerdos agnoscat, vt fortis existat, quam fortis videri velit, & infirmus emergat, &c. In hac familiaritate non habitat amica concordia: quoniam non nisi discordantes inimicitias creat, &c. Quid est, quod in hac coniunctione delectet, in qua sunt solæ pugnae? &c. *Inter opera S. Cypriani de singularitate Clericorum.*

1. Co. 10.

Fugiendæ feminæ sicut serpentes, & qualiter cum eis conuersandum, idq; urgente necessitate.

MULIERES fugias sicut serpentes, & numquam loquaris cum aliqua, nisi vrgens necessitas te compellat; nec vsquam aspicias in faciem alicuius mulieris. Quod si mulier tecum loquatur, verba sua citissime occide. Nam, teste Propheta: Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula. *S. Bonau. in regul. nouitiorum, c. 31.*

Do

x 4

De eodem: & quod fugiendæ vt ignis.

- 28 FUGIENDÆ in primis cum mulieribus congressiones sunt colloctionesque, neque ad eas vquam accedendum, nisi cum grauissima vos ad id necessitas impellit, & aliter facere non possimus. Atque, ipsa etiam vbi nos necessitas adegerit, ab ipsis non secus, atque ab igne, cauendum est; adeo, vt quam ocissime nulla mora ab istis nos extricemus, *S. Basilius de constit. monast. c. 4. & interrog. 109.*

De eodem.

- 29 MVLIERVVM congressus, quantum fieri potest, fuge, &c. Quod si etiam, vt cum ipsis congregiaris, necessitas aliqua te obstringat, oculos humi deiectos habe; atque ipsas quoque, quonam pacto spectandum sit, doce. Cumque pauca, quæ ipsarum animos adstringere, atq; illustrare queant, locutus fueris, statim auola, &c. *S. Isidorus Pelus. l. 2. ep. 284.*

Sermo breuis cum mulieribus, & rigidus, est habendus.

- 30 *S. Bonau. de puritate conscientia c. 15. ex S. Augustino. Vide sup. p. 2. c. 3. §. 2. de grauitate, & seueritate, Seueritas in vobis, n. 19.*

De eodem.

- 31 GVSTANDA, non continuanda est præsentia; sed quasi transeunter feminis exhibenda est accessio quo-

quodammodo fugitiua. *Inter opera S. Cypriani de
singul. cleric.*

**De eodem: & quod solus cum sola Sacer-
dos non sedeat.**

SOLVS cum sola ne sedeas in secreto, absque ar- 32
bitro, & teste, neque in præterita castitate confi-
das: quia nec tu Sampson fortior, nec sapientior
Salomone. *S. Bonau. de ratione confitendi. c. 14. ex S.
Hieron. dist. 81. c. in omnibus.*

De eodem.

CLERICVS solus ad feminae tabernaculum non 43
accedat, ne properet sine maioris natu Sacerdo-
tis iussione: nec solus Presbyter cum sola femina
fabulas misceat. Nec Archidiaconus suæ prætextu
humilitatis, aut officij frequenter intret domicilia
matronarum; aut forte per Clericos, aut domesti-
cos matronæ mandet aliquid secrete. Si agnitum
fuerit, & ille deponatur, & illa à liminibus arceatur
Ecclesiæ. *S. Clem. de constit. Apostol. distinct. 81. c. eod.
S. Ambros. de offic. lib. 1. c. 20.*

De eodem.

SI duæ, aut tres pariter ancillæ Domini mo- 34
rentur, solum ad eas ingredi non decet Sacerdo-
tem. Si quis hoc non obseruauerit, hostis est ani-
mæ suæ. Quod si post nostra monita d' agapethas
aliquis Clericus amplius quæsierit amare, quam
Christum, secundum Synodalem regulam, con-
ueniatur; ac præcepta Patrum in Nicæna definita

ei legantur. Iam vero, si couersus prædicta reliquerit, consecuti sumus maximum lucrum: Alioqui talis ab Ecclesia anathematizandus est. Geminant enim feminæ cum viris habitantes spinas, & arcana mentium acuto mucrone percunt. *S. Hieron. ad Oceanum ep. 30. luo. p. 6. c. 382.*

d Agapetha]est eadem, quæ delecta, vel amica, & sumitur in malam partem. De his euitandis extat. ep. 22. S. Hieron. ad Eustochiū, & ep. 30. ad Oceanum. Quamuis idem Hieron. in epistolam ad Philemonem dicat, potius sonare diligibilem, quam dilectam.

De eodem.

- 35 NON decet, Clericum cum mulieribus sedere, vel fabulari, vel domum eius frequentare, ne suspicio mala inde progrediatur. O quam vilis, o quam miser, & pusillanimis reputatur Clericus, qui frequenter cum mulieribus conuersatur! Insuper valde est, & inexpertus, qui amicitias mulierum procurat. *S. August. serm. 37. ad fratres Eremi. Concil. Turon. 2. c. 10.*

De eodem exemplo S. Augustini.

- 36 LEGITVR, quod Beatus Augustinus nec cum sorore habitare consenserit, dicens: Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt. Docti ergo viri cautela magna nobis debet esse instructio. *S. Gregor. l. 7. ep. 39. dist. 81. c. eod.*

De

De eodem.

INHIBENDVM est, vt nullus Sacerdos feminas, 37
de quibus suspicio esse potest, retineat. Sed neque
illas, quas Canones concedunt, matrem, amitam,
& sororem: quia instigante Diabolo, & in illis sce-
lus perpetratum reperitur, aut etiam in pedisse-
quis earundem. Sed, si qua de his necessitatem ha-
buerit, Presbyteri habeant in vico, aut in villa do-
mum longe à sua conuersatione, & ibi eis, quæ
sunt necessaria, subministrent. *Conc. Mogunt. alias
Nannet. c. 3. de cohab. Cler. & mulierum. c. 1.*

De eodem.

ANCILLAS, vel libertas à cellario, vel à secreto 38
monasterio, & ab eadem mansione, in qua Cleri-
cus manet, placuit remoueri. *Burchardus. l. 2. c. 113.
ex Concil. Rhemensi, ibi tamen non inuenitur.*

De eodem.

MVLIERES quamcumque habitationem non 39
habeant in locis, in quibus Presbyteri aliquem re-
cursum habuerint. Quod si obseruare paruipen-
derint, transgressores, & qui contra interdicta fe-
cerint iudicentur. *Idem Burchardus l. 2. c. 107. ex
Concilio Melden. c. 5. sed non reperitur ibi hoc decre-
tum.*

De eodem optima documenta.

HOSPITIOLVM tuum aut raro, aut numquam 40
mulierum pedes terant: quia non potest cum Deo
toto corde habitare, qui seminarum accessibus
copulatur. Femina conscientiam secum pari-
ter habitantis exurit. Numquam de mulierum
formis

1. Cor. 7 formis disputes. Feminæ nomen tuum nesciant. Feminam, quam bene videris conuersantem, mente dilige, non corporali frequentia. Si bonum est mulierem non tangere, malum est ergo tangere. *S. Hieron. ad Nepotianum dist. 32. c. eod. S. Basilius ep. ad Gregor. Presbyt.*

Quantumuis despecta, aut vetula femina domi non tenenda: quia citius delinquitur, vbi securius viuitur.

41 Non despecta, non vetula absque affinitate peculiariter suscipienda est ad domesticum obsequium: quia magis cito delinquitur, vbi sine suspitione securum potest esse delictum: maxime, quia libidinum nulla deformitas, nulla despectio obsistit, cui Diabolus pingens speciosum facit quidquid fœdum, vel horridum fuerit. *S. August. de singul. Cleric.*

Nullus Clericus cum extranea femina habeat familiaritatem.

42 **QVIA** Diabolo nullum locum dare oportet, hoc præcipue custodiendum decernimus, vt nulli Clericorum cum extraneis feminis habeant familiaritatem; nec vllum male loquendi, vel sentiendi hominibus aditum tribuant: quia frequenter per hanc indecentem occasionem contingit, ne Diabolus, qui infideatur sicut leo in cubili suo, de ruinis seruorum Dei insultet. Si quis vero Clericus post interdictum Episcopi sui his inhærere præ-

præsumpserit, à communione habeatur alienus.
Concil. Turon. l. c. 3.

**Quibus cum feminis liceat Sacerdoti
 conuersari.**

SACERDOTES debent prohiberi, ne cum mu- 43
 lieribus conuersentur: excepta dumtaxat matre,
 vel sorore. *S. Gregor. dist. 81. c. volumus. c. de Episc. &
 Cler. l. eum qui.*

De eodem.

INTERDIXIT per omnia sancta Synodus non 44
 Presbytero, non Diacono, vel alicui omnino, qui
 in clero est, licere subintroductam habere mulie-
 rem: nisi forte aut matrem, aut sororem, aut ami-
 tam; aut eas etiam idoneas personas, quæ suspicio-
 nes effugiant. *dist. 32. c. eod. Concil. Nicenum. c. 3. Syri-
 cius Papa. c. 12. dist. 81. c. feminas. c. oportet.*

De eodem.

NULLVS Clericorum extraneæ mulieri quali- 45
 bet collatione, aut familiaritate iungatur. Et non
 solum in domum illius extranea mulier non ac-
 cedat, sed nec ipse frequentandi extraneam mu-
 lierem habeat potestatem; sed cum matre tantum,
 sorore, aut nepte, si habuerit, aut voluerit, viuen-
 di liberam habeat potestatem. De quibus nomi-
 nibus nefas est aliud, quam natura constitu-
 it, suspicari. *Concil. Agath. c. 10. l. 10.*

p. 6. cap. 189.

Cle-

Clericus frequentans monasteria monialium qualiter coërcendus.

- 46 MONASTERIA monialium si quisquam Clericus sine manifesta & rationabili causa frequenter præsumperit, per Episcopum arceatur: & si non destiterit, ab officio Ecclesiastico reddatur immunis. *Alex. 3. de vita & hon. Cler. c. eod. 18. q. 2. c. diffinimus.*

De familiaritate cum feminis vitanda.

- 47 *Vide S. Basilium in constitutionibus monasticis c. 4. Tractatum inter opera S. Cypriani de singularitate Clericorum. S. Ambros. de off. l. 1. c. 20. S. Hieron. ep. 30. & 47. S. August. ep. 137. ad fratres Eremiti. S. Bernardum de modo bene viuendi. S. Thom. opusc. 64. S. Bonau. de ratione confitendi, & puritate conscientie. c. 14. Ioan. Casianum. l. 11. c. 17.*

